

locutionibus, unaquaque pars blanditur sibi deducere pro sua sententia argumentum. Ut rem ergo consueta nostra methodo pertractemus, assertimus primo qui pro immunitate Virginis ab Originali labore primis illis temporibus, seculo scilicet duodecimo, circa medium, steterunt; & postmodum qui de ea male loqui sunt, qui ut plurimum fuerunt catholicae veritatis hostes enumerabimus.

Primo igitur anno 1142. Canonicæ Ecclesiæ Lugdonensis, volentes celebrare Festum die octava. mensis Decembri in honorem Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae, occasionem dederunt quæstioni huic, quæ subsequentibus temporibus acriter inter partes fuit agitata, ac disputata. Fertur, Sanctum Bernardum reprehendisse Canonicos illos, ipsique scripsisse celebrem epistolam, quam tamen plerique negant Bernardi esse, sed alterius, qui sub Bernardi nomine se occultavit. Verba Epistolæ sunt: *Miramur satis quid visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum mutare colorem optimum, novam inducendo solemnitatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Ex hoc factum est, ut in similibus casibus evenire solet, quod multi Canonorum Lugdunensium pietatem imitantes, piam sententiam de immunitate Virginis ab originali labore amplexati sunt, & eam totis viribus propugnabant: Ex adverso vero aliis, isdem se opponentes, eam impugnare, omni conatu nitebantur.*

Secundo in hoc partium conflictu insurrexit Joannes Duns Scotor, ac tutelam piæ sententiae suscepit; hoc tamen ordine, quod prius non assertive sententiam defendebat, sed solummodo rationes omnes solvebat, quibus illibata Virginis Conceptione impugnabatur. Quod præstitit in tertio sententiari. dist. 3. q. 1. num. 4. ubi haec habet: *Quod Deus potuit facere, quod ipsa (Beata Virgo) nunquam fuisset in peccato originali; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato, & in ultimo instanti illius temporis purgaretur. Postmodum dubitative etiam subdens: Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt esse possibili, factum sit, Deus novit; si autoritati Ecclesiæ, vel authoritatibz Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est attribuere. Mirie. Demum distinct. 18. num. 1. 3. assertur aperte, & firmiter, non haesanter, ac timide, ut prius: *Beata Virgo Mater Dei**

nunquam fuit inimica actualiter, ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset præservata. Tertio Academia Parisiensis piæ sententiae patrocinium manifeste suscepit. Quum enim coram Parisiensi Facultate, & Legatis etiam Summi Pontificis, disputatio de illibata Virginis Conceptione instituta fuisset, eam Joannes Duns, Scorus, adeo invictè propugnavit, ut Parisenses Doctores in suam sententiam traxerit, & ipse Doctor Subtilis nomen, ab Universitate illa primum, & deinde etiam Colonizæ a Professoribus illis reportaverit. Hoc totum narrant primo Cavellus in Rosario seculo 14. verbis hisce: „ Jussu Summi Pontificis, habita solemni disputatione coram facultate Parisensi, præsentibus „ Apostolicæ Sedis Legatis, de Immaculata „ Conceptione, tanta ingenii subtilitate, „ tanta solutionum facilitate, & perspicuitate, omnia aduersa argumenta mira dexteritate confregit, & refellit; suamque piam sententiam de Conceptione Mariae, ipsius Mariæ fratribus auxilio, argumentorum pondere, tot, tamque urgentibus rationibus comprobavit, & munivit, quod celeberrimam illam facultatem, matrem Universitatum, in suam plam traxerit sententiam, quæ in gratificationem, nomine „ Doctoris Subtilis ipsum condecoravit: & acerrimis ejus disputationibus inducta, „ sacram illud, & celebre Marianum decre- tum condidit; ne sciscet in posterum, „ quisquam ad magisterii gradum admittetur, qui tota vita, se propugnatum „ Immaculatam Conceptionem, jurejurando non adstringeret. Postea Scorus Coloniæ projectus, victoriæ pro Immaculata Conceptione ex discipulis Alberii „ Magni reportavit; & nomen Doctoris „ Subtilis ibi denuo est solemniter acclama- tum. „ Secundo Bosius de signis Ecclesiæ tom. 1. fig. 36. lib. 9. cap. 8. Concep- tionis porro festum, Scotti, acutissimi Theologi, doctrina maxime confirmatum. Tertio Salazar, cap. 42. seculo 14. Joannes Duns Scorus, præcipius, ac maximus pars Conceptionis vindex, qui tantum huic doctrine sua autoritate fidem comparavit, quantum nullus alius ante, vel post ipsam. Et cap. 13. num. 1. Subtilissimus Doctor, quemadmodum omnibus Theologis Immaculatae Conceptionis propugnanda author excitat; ita etiam nihil prætermisit, quod in hac re, ad maiorem Virginis gloriam, facere possit. Quarto Bernardinus de Bustis in Officio Immaculatae Conceptionis, a Sixto IV. approbatu lect.